LODOICO BELLUTIO

ET

VINCENTIO BRASCHIO

VIRIS EXCELLENTISSIMIS

COSS. REIPUBLICAE SAMMARINIENSIS

OB FAUSTUM GLORIOSUMQUE REDITUM

VIRI EXIMII ANTONII ONUPHRII

LEGATI EXTRA ORDINEM

AD SUMMUM PONTIFICEM

Dominicus Magrinius

HUMANIORUM LITTERARUM ET GRAMMATICES IN NOBILI

BELLUTIO EPHEBEO MAGISTER

D. D. D.

PISAURI

EX PRAELIS ANNESII NOBILI

1824.

CARMEN.

Anxia Titani (1) populus suspiria ducit
Difficili cura moerens: pennata per orbem
Nuncia fama ruit; mendax infamia terret,
Diraque fata vocat demens, crudelia et astra;
Solvitur in lacrymas supplex gens chara Marino,
Ingeminatque ictus, et tundens pectora palmis
Coeli poscit opem, et multa prece Numen adorat.
Multa movens animo praeclarus (2) Onuphrius Urbem,
Quae caput est rerum, fideique immobile centrum,

(1) *Titanus fluvius, qui et Titas, sive Acer nunc S. Marini flumen appellatum, ab urbe S. Marini uno distat milliario, atque idcirco populus Sammariniensis etiam Titani populus nuncupatur.*

(2) *Vir nobilis Antonius Onofri e clarioribus Senatoribus unus, Consul pluries, pluriesque extra ordinem diversis Principibus Legatus, S. Marini Reipublicae negotia accuratissime gessit. Hic novissime a praeclarissimo Reipublicae Senatu Principe. Coss. Nobilibus Dom. Lodoico Bellutio, et Vincentio Braschio ad Leonem XII. P. M. missus est nuncius, ut hujusce Reipublicae causam diceret, horrendamque averteret, deleret-*

Festinus petiit Legati munere functus.
Protinus eximium fert nuncius urbe MARINI
Advenisse virum, insonuitque ad Principis aurem
Fama: statim sedis sacra tecta subire jubetur.
Maximus hic solio Antistes consedit in alto,
Romanae imperio qui summus praesidet urbi:
Tergeminisque caput circumdat rite coronis,
Christiadumque LEO rerum gerit unus habenas.
Postquam introgressus, coram et data copia fandi,
Sic placido tales effudit pectore voces:
Tu, venerande pater, nobis solatia praebe;
Oro, parce piae genti, quae criminis expers
Audiit: tu fer opem, et propius res aspice nostras.
Magnanimus quando *Pius* (3) effera bella ciebat,

---

que calumniam ipsi inustam de Religione violata, suoque Episcopo obedientia, atque demissione negata. Verum litterae praecesserant testimoniales RRmorum Episcoporum Feretrani, et Ariminensis, necnon Rmi P. M. Dominici Joachimi Tosi Pisauriensis Inquisitoris, iis nempe temporibus, quibus tota pene Europa rebus Religioni adversis fuit afflicta (et hodiedum), Rempublicam hanc S. Marini semper extitisse verae Religionis observantissimam, neque quidpiam egisse unquam, quod et Religioni ipsi, et Episcopi sui juribus, et Sanctae Inquisitionis legibus visum sit offecisse.

(3) Pius nempe II. qui foedus cum Republica Sammariniana iniit, ut Sigismundo de Malatestis bellum inferret, eamque post belli eventum, quod A. 1461. *contigisse certum est, summus ipse Pontifex Castris donavit, Seravallensi, Faetanio, Mon-Iardinensi, atque Florentino, ut ex S. Marini Reipublicae historia liquet.*

Et quamvis inopes, tamen auxilioque vocati
Titani cives homines, atque arma dederunt;
Magna tulere domum victores praemia bello.
Plura quid enumerem? Galli populare Quirites
Advenere: fide se nos ditescere velle (4)
Spondent, et praedis large cumulare relatis:
Persolvens grates renuit jam dona Senatus.
Septimus ipse *Pius* nobis tum dixit honorem,
Nomen ad astra tulit nostrum, gratesque rependit,
Dum placidis cives oculis spectavit (5) Arimni.
Tanta-ne ferre potest nunc infortunia virtus,
Dedecus et tantum cogetur obire pudendum?
Id tulit infenso spinosa calumnia nisu.

Horruit hostili convicia fraude recusa,
Infesta heu! populi fidei, Sanctique Senatus,
Instupuitque strophis, et fuco perlita dicta,
Hisque brevi summus LEO vocibus ora resolvit:
Excute corde metus; animum tu solve dolore.
Res dura, et regni novitas me talia cogunt
Moliri. Memini, quis facta ignoret in orbe?
Insignes pietate viros quis nesciat omnes?
Saecula nec vestras laudes ventura silebunt:

(4) *Nempe pollicebantur, se Reipublicae Sammariniensis confinia dilataturos; at Senatus hanc dilatationem modestissime abnuit.*

(5) *Quum ab exilio redux Pius VII. urbem romanam adventaret, atque Arimini consisteret, Reipublicae Sammarinianae Legatos peramanter amplexatus est.*

Inclyta jam stabit Respublica sacra Marino,
Et Regina dabit, positis lacrymisque, metuque,
Jure suo populis legem, sceptrumque tenebit.
Talibus auditis illustris moenia Romae
Nuncius abscedens linquit, sociosque salutans
Ad patrias remeat sedes, urbique propinquat.
Praevia fama docens sonuit venientis Onuphri,
Turmatimque fluunt cives, longeque salutant
Intima ridenti testantes gaudia vultu;
Quin et jucundis loca vocibus omnia complent,
Et choreas ducunt, et dulcia carmina fingunt
Amplexuque tenent, feliciaque oscula libant,
Primorumque manus illum comitantur ovantes,
Et, dum percupiunt urbis succedere portis,
Talia festivo fundunt e pectore dicta:
Vindice perstabit felix urbs nostra Marino,
Qui vigil e coelo imperii moderatur habenas,
Ac, veluti Princeps, hostes e moenibus arcet. (6)

(6) Saepe quidem Respublica D. Marino receptam retulit liberationem sui ab hostibus, sed praesertim, ut apud Bolland. Act. SS. Mens. Septemb. t. 2. Commentar. praevio num. 31. legitur. = Cum 3. Junii A. „ 1543. ingruentibus tenebris Arimino egressus esset Fabianus del Monte „ quingentos ducens milites quibus sese debebant jungere in Reipublicae „ confiniis turmae aliae Bononia venientes, ad postea simul per noctis si- „ lentia oppidum ex improviso invadendum tum funibus scansoriis, tum „ scalis ligneis subita nebula serenum coelum obtexit, itaut deerrantes a „ via totam noctem vagarentur nec accederent ad locum destinatum, quo

Pro Patria donec stabit, nil arma juvabunt,
Nilque satis conficta dolo mendacia turpi.
O age nunc salve, Patriae Pater (7) ipseque vindex
Dum coelo noctis splendentia signa nitescent,
In freta dum resonas cogent vaga flumina lymphas,
Et dum tellurem circumdabit Amphitrite,
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt,,

*,, tantum convenerunt clara luce, animo confusi, quod tanto temporis spa-
,, tio non confecissent breve iter decem milliarium italicorum. Itaque cum
,, adhuc procul abessent aere Campanae dari ab arce signum custodiae, au-
,, si non sunt molitionem suam prosequi, quae ignoruta a civibus secure
,, dormientibus sortita fuisset exitum funestum, nisi vigilans pro ipsis Ma-
,, rini protectio nebulosum labyrinthum praeparasset hostium pedibus. Hinc
,, jure meritissimo in omnibus antiquis et recentioribus picturis repraesen-
,, tatur Sanctus montosam suam Rempublicam brachio complectens ad ex-
,, primendum patrocinii ipsius auxilium,,.*

(7) Princeps Reipublicae Summarinianae est Senatus ipse, quum in Republica quavis uni tantum non competit summa rerum, sed pluribus. Hoc autem loci Antonius Onofri, ut patriae pater, et vindex salutatur' utpote qui patrium urbem consilio, et opere haud infrequenter et defensavit, et juvit, atque hoc ipso sensu de Tullio cecinit Iuvenalis Sat. VIII. v. 244. = Roma Patrem Patriae Ciceronem libera dixit = .